



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Theologia Moralis Universa

Jansen, Leonard

Coloniæ Agrippinæ, 1725

Casus I. De Conscientia in genere; & in specie, de vin- & invincibiliter  
erronea.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39911**

# TRACTATU DE CONSCIENTIA,

S E U

Regula interna actuum humanorum

C A S U S I.

De Conscientia in genere; & in specie, de vin - & invincibiliter erronea.

**A** Bellius pastor studiorum incurius, 10. putat quaslibet distractiones sub officio Missæ esse mortale, nihilominus sæpe distrahitur, ibid. 11. Varias cogitationes admittit, nesciens, an sint graviter, an venialiter male, iisque ex post omnino assuefactus sine remorsu conscientia inheret. 12. Jejunium sæpe promulgat, dum non est præceptum, dum autem est, sæpe obliviscitur. 13. Laborantes ignorantiam fidei, præceptorum Dei, & Ecclesiæ, item putantes se non esse obligatos ad dimittendas occasiones proximas, ad ignoscendum inimico, ad explicanda peccata merè interna non admonet, eò quòd credat eos monitioni non esse parituros. Pro resolutione examinabitur 1. Quid sit conscientia speculativa, practica. 2. Vera & falsa. 3. Vincibilis & invincibilis, ethicè & physicè recta. 4. An necessariò sit certa. 5. An obliget erronea. 6. An actus ex ea secutus sit moraliter bonus. 7. An detur ignorantia invincibilis in materia juris

R. D. Jansen Pars I.

naturalis. 8. Quid de conscientia vincibiliter erronea.

QUÆRES I. Quid, & quotuplex sit conscientia?

1. Conscientia est dictamen practicum intellectus, dictans, quid hic & nunc licitè & honestè fieri possit, debeat, aut non debeat: est communis. Dicitur 1. Dictamen intellectus, & non voluntatis, ut vult Durand. quia conscientia est quasi scientia vel iudicium de honestate vel inhonestate actus, scire autem & iudicare indubiè ad intellectum pertinet. Dicitur 2. Dictamen practicum, hoc est, immediatè dirigens operationem hic & nunc ponendam; nam conscientia speculativa, seu remotè practica non est propriè conscientia, neque immediatè versatur circa actionem hic & nunc ponendam, sed in genere dicit quid sit, vel non sit licitum, præceptum, vel non præceptum: v. g. omni die festo est obligatio audiendi Missam; conscientia autem propriè talis, seu

A

dicta-

2  
 di dictamen *practicè practicum* dicit: tibi non impedito hoc die audiendum est Sacrum. *2.* Utraque tam speculativa quàm practica dividitur in veram & falsam, rectam & erroneam, dubiam & perplexam, probabilem, certam, & scrupulosam. Conscientia *vera* est, quæ dicitur esse licitum vel illicitum, quod revera tale est. *Falsa* seu erronea, quæ illicitum dicit esse licitum, vel e contra: potest autem contingere, quod conscientia speculativa sit certa, practica verò falsa, vel dubia, ut si intellectus dicat: Christiani in die Paschatis tenentur audire Sacrum, & inde inferat, ergo etiam ego infirmus. Vel e contra conscientia speculativa sit falsa, & practica certa, ut si ex hoc quod erroneè judicem nullum in vigilia S. Matthæi obligari ad jejunium, inferam, etiam me infirmum non obligari. *3.* Conscientia *erronea* iterum est duplex, alia vocatur *vincibilis*, quæ scilicet adhibitâ morali diligentia (id est tali, quam homines prudentes in re alicujus momenti adhibere solent) vinci & deponi potest; alia *invincibilis*, quæ sic deponi non potest: ite conscientia recta alia est solum *recta physice*, & idem est quod vera seu conformis objecto, vel etiam est *recta ethice*, seu conformis appetitui recto, hoc est parato implere omnem Dei legem, quamvis à parte rei sit falsa, v. g. si aliquis de hostiâ à sacerdote post consecrationem elevatâ temerè dicat: hæc hostia non est consecrata, ideoque nec adoranda, hæc conscientia, ex supposito quod sacerdos non sit validè ordinatus, est ve-

ra seu physice recta, non tamen est recta ethice seu conformis appetitui recto, utpote temeraria; e contra si de eadem hostiâ dicas: hæc hostia est consecrata ideoque adoranda, habebis conscientiam ethice, non physice rectam. De conscientia dubia, probabili, perplexa & scrupulosa dicitur in sequent.

4  
 QUÆR. II. An & qualiter conscientia debeat esse certa?

*2.* Conscientia practice practica, seu dictamen ultimum debet esse ad minus moraliter certum, vel saltem excludere omnem formidinem de opposito. Est communis cum *D. Th. quodl. 8. a. 13. O.* ubi dicit ad conscientiam requiri, ut *in nullam dubitationem adducatur*, & Ratio est, quia si ultimum dictamen non excludat omnem formidinem, posset quis merito dubitare de honestate actûs, ideoque voluntas ageret cum dubio practico, seu consentiret in actum, quem cognoscit forsan esse inhonestum, ideoque exponeret se periculo formaliter peccandi, & virtualiter contemneret legem: idem dicendum, si dictamen ultimum tantum niteretur motivo probabili cognito ut tali: motivum enim probabile est fallibile, hoc ipso autem quod quis cognoscat motivum suum esse fallibile, cognoscat actum, quem hic & nunc ponit, fortè esse inhonestum; ideoque ageret cum dubio practico. E contra si conscientia in se quidem sit tantum probabilis, bonâ autem fide credatur esse certa, sufficiet ad regulandum actum honestum, quia excluditur omnis dubitatio & formido de inhonestate

state actûs; si enim actus invincibiliter erroneus habitus pro vero sufficiat ad actum honestum, vel saltem ad excludendum peccatum, cur non sufficiat conscientia merè probabilis, quæ bonâ fide habetur pro certa?

5. QUÆR. III. Qualiter obliget conscientia?

32. Conscientia non tantum recta, sed & invincibiliter erronea præcipiens vel prohibens obligat ad sui sequelam, ita ut agens contra conscientiam contrahat eam malitiæ speciem, quam conscientia dictabat esse vitandam, ut si iudices te obligari ad mentium v. g. ex charitate proximi, non mentiendo peccas contra charitatem: si falsò iudices hanc pecuniam esse alienam & ideo restituendam, peccas contra iustitiam si non restituas; & sic de aliis. Est communis cum *S. Th. 1. 2. q. 19. a. 5. Bonav. in 2. dist. 39. a. 1. q. 4. quia, quod non est ex fide ( seu secundum conscientiam ) peccatum est. Rom. 14. ideoque c. litteras de restitutione dicitur, quidquid sit contra conscientiam, adificat ad gehennam. & Ratio est, quod conscientia sit intrinseca & immediata regula actuum humanorum, adeo quidem, ut actus conformis conscientiæ etiam invincibiliter erroneæ non tantum careat omni culpâ, sed etiam sit positivè honestus & moraliter bonus eâ bonitate, sub qua obligabat conscientia, ideoque inposito casu mendacium erit actus imperatus à charitate, ut habet communissima apud *Teril. in reg. honest. moral. q. 3. Sporer hic n. 18.* Ratio est, quod actus*

humanus sumat bonitatem & malitiam ab objecto, non secundum se, seu prout est à parte rei, sed ut cognito & proposito per intellectum, ergo si mendacium invincibiliter proponatur ut bonum & obligatorium ex charitate, voluntas illud amplectens exercet actum charitatis, & per consequens non solù durante conscientia erronea, sed & cognito errore licitum erit delectari de eiusmodi actu, non secundum se prout est intrinsecè malus, sed in quantum bene & honestè factus est ex errore invincibili.

*Dices 1.* Actus moraliter bonus debet procedere ex ratione recta, sed iudicium erroneum non est ratio recta, ergo. *2.* Actus intrinsecè malus ex nullâ circumstantia potest fieri bonus, atqui mendacium est intrinsecè malum, ergo nec ex circumstantia erroris invincibilis potest fieri bonum aut licitum. *3.* Neque actus voluntatis imperans mendacium potest esse bonus, quia actus voluntatis specificantur ab objecto, atqui objectum seu mendacium manet intrinsecè malum, ergo. *4.* Si mendacium hoc casu est moraliter bonum, ergo est à Deo ut authore, sed absurdum est Deum esse authorem mendacii. *Nec dicas* eiusmodi mendacium esse à Deo permittente, non approbante; nam quod Deus præcipit, hoc non purè permittit, sed approbat seu intendit ut fiat, atqui tali casu mendacium à Deo præcipitur, quia si omittatur, peccatur contra legem charitatis, quæ est lex Dei, ergo. *5.* Etiam si iudicem invincibiliter aliquod

4  
 objectum esse revelatum, si tamen à parte rei revelatum non sit, non habeo actum fidei divinæ, ergo à pari, quamvis invincibiliter iudicem mendacium esse licitum, quia tamen mendacium revera manet intrinsecè malum, voluntas mentiendi non erit bona sed mala. 6. Saltem actus imperans est ex objecto malus; pro objecto enim imperato habet mendacium, quod manet intrinsecè malum, ergo actus imperans est simpliciter malus: bonum enim est ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu. *¶. ad 1.* Actus moraliter bonus debet procedere ex ratione semper rectâ physicè seu conformi objecto N, rectâ ethicè seu moraliter, C. *Ad 2.* Actus intrinsecè malus non potest ex circumstantia erroris fieri intrinsecè bonus, C. non potest fieri bonus extrinsecè & denominativè, N. mendacium manet intrinsecè & materialiter malum, denominatur tamen bonum ab actu imperante, qui non tendit in malitiam mendacii, quam non cognoscit, sed in bonum charitatis, à quo movetur. *Ad 3.* Actus voluntatis non specificantur ab objecto secundum se, sed ut representato per intellectum, ergo si nulla in objecto representetur malitia, sed sola bonitas, actus non erit malus, sed bonus. *Ad 4.* Mendacium in casu posito est tantum extrinsecè & denominativè bonum, intrinsecè verò malum, ideoque à Deo approbari simpliciter & præcipi non potest, sed Deus tantum præcipit legem charitatis, ex qua operans per errorem invincibiliter subsumit; sed non possum hic ser-

vare legem charitatis sine mendacio: quem errorem Deus permittit. *Ad 5.* N. C. Motivum fidei est autoritas Dei per revelationem reipsa existentem interposita, ut habet communis Theologorum; motivum voluntatis est bonitas representata per intellectum, etsi à parte rei non insit objecto. *Ad 6.* Actus imperans habet pro objecto malum cognitum ut tale, N. cognitum sub ratione boni, C. ideoque est simpliciter bonus, quia nec partem malitiæ cognoscit.

7.  
 QUÆR. IV. An detur conscientia invincibiliter erronea in materiâ juris naturalis?

*¶.* Quoad universalissima juris naturæ principia, & conclusiones inde clarè & immediatè deductas non potest dari ignorantia vel error invincibilis, saltem ad longum tempus: ejusmodi enim principia cuilibet ratione utenti statim ipso naturæ lumine innotescunt; ut: *declina à malo & fac bonum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: cuiquid tribuendum est suum* &c. Ea verò quæ per difficiles discursus ex his principis deducuntur, etiam à doctissimis ignorari possunt, v. g. an census germanicus sit licitus: an liceat occidere injustum in vasorem pudicitiae vel bonorum temporalium: an injustè damnatus ad venenum possit illud proprio ori ingerere; hæc & similia sæpe inter integras scholas controversantur, & re diligentissimè discussâ, nescitur pro qua parte stet veritas, an non igitur hæc ignorantia est invincibilis? quid dicam de rudibus, qui nec stud-

duerunt nec instructi sunt? *V. D. Th.*  
 1. 2. q. 94. a. 6. *Et q. 100. a. 1. Viva*  
*Opusc. 1. Q. 3. a. 6.*

8. QUÆR. V. An & qualiter obliget conscientia vincibiliter erronea?

R. Conscientia vincibiliter erronea, quâ quis v. g. putat sibi esse pejerandum ad liberandum proximum, non obligat ad sui sequelam, sed est peccatum agere cum ea & contra eam, ideoque debet deponi inquirendo veritatem, quia est vincibilis, ut supponitur, & agere contra conscientiam seu non pejerare, esset agere id, quod iudicatur esse malum, & contra charitatem proximi; agere autem cum conscientia esset pejerare in illis circumstantiis, in quibus inquirendo veritatem poterat scire perjurium esse illicitum.....

9. Qualiter autem monendus sit penitens in conscientia erroneâ constitutus, dicam suis locis; hic sufficiat, quod peccans ex conscientia vincibiliter erronea semper sit monendus, peccat enim formaliter: Item ante absolutionem semper monendus est errans vel ignorans necessaria necessitate mediæ vel substantialia Sacramenti Penitentiae, ut si quis putet se non obligatum ad relinquendas occasiones proximas, ad ignoscendum inimico, talis enim non haberet propositum efficax, eò quod voluntariè vellet permanere in actuali peccato vel periculo peccandi formaliter: de cætero errans invincibiliter non est necessariè monendus, nisi quando est spes fructus, & sine gravi incommodo mo-

neri potest. *Vid. cas. 18. n. 3.* His præmissis, ad casum

R. 1. Pastor tenetur sub mortali habere vel saltem intra breve tempus acquirere scientiam ad officium pastorale necessariam, aut beneficium resignare; qui enim obligatur ad finem, etiam obligatur ad media ordinaria & necessaria. 2. Judicans omnes distractiones esse mortale, sive hoc fiat ex errore vincibili, sive invincibili, peccat mortaliter quoties voluntariè distrahitur, quia agit contra conscientiam graviter obligantem; si verò involuntariè distrahatur, non peccat, quamvis distractiones involuntarias putet esse mortale, quia non sunt liberæ, omne enim peccatum essentialiter est liberum. 3. Quod varias cogitationes admittat nesciens an sint graviter vel venialiter malæ, tripliciter intelligi potest, nam 1. si admittat cum ea animi comparatione, ut sit paratus eas admittere, sive sint, sive non sint mortale, semper peccat mortaliter; si verò admittat eas nolens considerare an sint mortale, vel veniale, ne teneatur abstinere ab objecto delectabili, aut ne fiat scrupulosus, denuo peccat mortaliter, quia cum nolit inquirere an illæ cogitationes sint mortaliter malæ, & tamen iis voluntariè inhæreat, exponit se periculo peccati mortalis, & per consequens mortaliter peccat: si verò cognoscat illas cogitationes quidem esse malas, sed omnino præscindat, an sint mortaliter, an venialiter malæ, ut præ-


10

11

6  
 scindunt quandoque rudes pejerantes, contumelias vel detractiones profertentes &c. probabilius videtur non peccare mortaliter, quia non apprehendit malitiam mortalem nec obligationem ulterius inquirendi, ut suppono; peccat autem venialiter, quia ad veniale sufficit cognoscere malitiam quamcunque, *Sporer c. 1. num. 17.* In praxi tamen videtur hoc raro contingere, vel enim voluntas fortiter refugit tale objectum, & tum signum est quod intellectus apprehenderit malitiam mortalem; vel leviter refugit, & signum est apprehensam esse malitiam levem. 4. Quod autem istis cogitationibus assuefactus inhæreat sine remorsu conscientiae, iterum duplicem habet sensum: vel enim significat, quod nullum omnino habuerit actum intellectus, quo cognoscat, has cogitationes esse prohibitas; jam clarum est, quod non peccet, quia non advertit malitiam; si vero significet, quod non habeat iudicium sensibile quod causet actualem anxietatem & timorem, habeat tamen aliquod iudicium tenue & impercepti-

bile, quale habet perfectus Cytharodus etiam imperceptibiliter se reflectens ad regulas artis, ac plerumque etiam peccatores consuetudinarii, certum est quod peccetur juxta qualitatem materiae aut finis. 5. Parochiani instructi has cogitationes non esse aperiendas in confessione, si sint rudes, & bonâ fide putent se à Parocho bene instructos, laborant conscientiam invincibiliter erroneam, & non peccant illas in confessione omitendo; si vero sint docti & dubitent, an Parochus hic & nunc erret, tenentur apud alios veritatem ulterius inquirere. 6. Parochus promulgans suis jejunium, quando non est, peccat, quia injustè imponit subditis onus, ad quod non obligantur: nec obstat quod hoc fiat ex errore, nam hic error est vincibilis, cum inspiciendo calendarium facile tolli potuisset; parochiani tamen, qui Parocho promulganti credunt esse jejunium, peccant contra conscientiam peccato intemperantiae, si non jejunent, Reliqua satis constant ex dictis.

13.



CASUS